DE NOSOCOMIORUM
INSTITUTIONE ET UTILITATE
NONNULLA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE ADIPISCENDOS SCRIPSIT
ET DIE IX. M. JULII MDCCCLXI
UNA CUM THESIBUS PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

FRIDERICUS BERNHARDUS POYDA
SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:
G. JACOBI, DR. MED.
H. FRIEDRICH, CAND. MED. ET CHIR.

HALIS SAXONUM,
TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIO-SCHWETSCHKIANIS.

Multa scripserunt, qui ante nos fuerunt, sed multum adhuc restat operis, multumque restabit, nec ulli nato post mille secula praecludetur occasio aliquid adjiciendi.

Seneca.

F. GUILELMO POYDA

PAROCHO GEUSSNITZENSI

PATRI CARISSIMO

S. P. D.

AUCTOR.

Cui potius, quam TIBI, PATER OPTIME, hoc studiorum meorum primum specimen offeram? TU enim, quaecunque a TE beneficia potuerunt in filium proficisci, ea in me a pueritia omni tempore liberaliter contulisti.

Accipe igitur benigne hunc libellum, quem TIBI, in signum pietatis et gratissimi animi, filius et discipulus trado et consecro.

Nihil magis a summo Numine precor, quam ut TE per longam adhuc annorum

seriem sanum et valentem conservet, omnibusque rebus florere jubeat.

Vale, ac perge in me idem esse, qui fuisti: magna posita est felicitatis meae pars in TUO erga me amore.

PRAEFATIO.

Medicinae quam experientia perfecit, invenit necessitas duo sunt praecipui cardines: ratio et observatio; observatio tamen est amussis ad quam dirigi debent medicorum ratiocinia.

Nulla nobis in exploranda morborum natura usui erit subtilis disputandi ratio, sed repetita et diligens animadversio eorum, quae singulis accidunt aegrotantibus, nec non solertia naturae methodo conformis ac pedissequa.

Licet nos omnino fugiat, in quo situm sit cujusque partis vitium et cujusque morbi natura, observamus tamen quod suum quique typum habeant, certas pariter crescendi et decrescendi leges. Quod si secus accidat, externis causis potius medendique viae id, non

naturae attribuendum. De his omnibus jure poterit concludi, medicinam non adeo incertam esse, nec adeo levibus, ut vulgo putant, innixam fundamentis.

Recte definitur scientia medica: vis videns, cognoscens, explicans ex iis, quae longo tempore accurate observavit atque animadvertit, diversa morborum genera; hisque non ex probabili quadam hypothesi remedia adhibens, sed longo usu comprobata et experta. Haec medendi methodus si cum commentitiae splendore ac fastu conferatur, tenuis quidem, imo vilis fortasse ac contemnenda videbitur. At in illa nihil salutaris et vitalis inest, verum mira duntaxat foliorum ramorumve luxuries, ad aspectum quidem pulchra, sed statim flaccescens, ubi primum eam novitatis gratia tamquam succus defecerit. Haec vero quam modo supra descripsimus, cum non ex rebus fictis commentitiisve constet, non ostentationis, nec inanis, sed quae in curandis hominibus sita est, verae, gravis, solidaeque gloriae cupida, nec ad ostentandos flores, sed ad uberrimos et jucundissimos fructus proferendos comparata, in diem magis magisque fit robustior.

Cujus verae ac propriae medicinae duplex est fons, natura humana et natura universa. Utramque intime nosse debet medicus, quia neque in naturam

ignotam, neque per eam apte et congrue agere potest. Duplici ergo ratione medicam perfectiorem reddimus artem: suppetitando ampliorem, profundiorem, clariorem cognitionem aut naturae humanae, tum sanae, tum aegrotantis, aut naturae universae, quatenus quidem in humanam agere, eamque mutare solet.

Inter alia quae medicinae hac duplici ratione prosunt, nosocomia i. e. aedificia in quibus aegrotantes colliguntur et curantur, primum locum obtinere videntur. Ex his enim rite institutis varia eaque haud spernenda emolumenta ad universam rempublicam, et ad omnes cives, eos quoque qui bene valeant, redundare, neminem fore arbitror, qui dubitet; res enim ita posita est in aprico, ut argumentis non indigere videatur. Quare, hac data scribendi occasione de iis modo augmentis mihi erit sermo, quae ars medendi ipsa e nosocomiis haurire potest, cum rite fuerint instituta, medicique quorum cura tradita sunt, hoc nomine digni reperiantur, neque officio suo satis fecisse sibi videantur, cum medicamenta aegrotis praescripserint, verum summa disciplinae medicae dignitate intime perfusi, non nisi ejus utilitati cupiant inservire.

Non modo optimam et exoptatissimam praebent nosodochia facultatem examinandae accuratius atque cognoscendae naturae humanae in statu aegroto, verum

etiam nihil umquam magis aptum, nihil magis tutum commodumque esse potest, quam nosocomia ad spectandam et probandam veram remediórum vim ac naturam; cum eorum, quae jam cognita esse videntur, tum eorum quorum efficacitas periculis et experimentis caute et cum grano salis institutis, invenienda, detegenda, confirmanda est. Qua propter duplex libelli erit argumentum. Primum emolumenta et commoda, quae ad indagandam veram medicaminum naturam et effectum e bonis nosocomiis redundent, breviter explicabo, deinde de augmentis quae morborum cognitio ex iisdem haurire potest disseram, siquidem pauca de justa nosodochiorum institutione praemiserim.

Nosodochiorum institutio.

Valet multum ad aegrotorum curationem ipsa loci, quo constituuntur nosocomia, salubritas. Quae postulat, ut aer libere accedere possit, et tum salubres spiritus secum afferre, tum inutiles et noxios nosocomii dissipare; ut quam longissime remotae sint paludes, lacus, stagna et quaelibet sordium corruptarumve rerum receptacula, unde prodeuntes halitus insalubres vel morbos lecto adfixorum pejores reddere, vel novos inducere iisdem et ipsis curantibus possint. Ne vero cives afficiantur nosocomii malis, convenit huic locum assignare solitarium.

Iisdem ex rationibus curandum semper sedulo erit, ut pura sint nosodochii cubicula et a quibuslibet inquinamentis assidue liberentur. Quare non tantum sordes cujusvis generis diligenter erunt ejiciendae, sed etiam opus est, ut fenestris subinde apertis aer adulteratus aegrotorum halitibus amoveatur, recens contra purior admittatur: itemque ut spiramentis exstruantur conclavia, quae noxios halitus perpetuo evehant. Qua tamen in re cavendum, ne recens statim et frigidus aer aegrotis aspiret calentibus.

Satis constat morborum indolem imprimis fieri gravem ac malignam a multitudine aegrotorum, uno in loco constipatorum atque accumulatorum. A contubernio plurium et diversi generis aegrorum mutua quoque nascuntur curationum impedimenta. Inde autem in promtu est colligere, nosocomiorum spatiosam requiri amplitudinem, loca singulorum ob contagionis aut noxae metum separanda, et pro diversitate morborum vitiorumve aegrotos distincte collocandos.

Unde pariter licet colligere, consultum admodum esse, ut diversa et a se invicem aliquantum distantia exstruantur aedificia, quo sine malorum communicatione eo magis a mutuo commercio removeri possint ejusmodi aegri, quorum morbi ita differunt, ut contagionem invicem spargere et recipere possint, aut etiam nimiam molestiam afferre vel pati. Sic malignis febribus epidemicis, lue venerea, dysenteria laborantes propriis inferre aedificiis, consentaneum est, ne suis alios malis inficiant, neque turpitudine et foetore suo caeteros graviter affligant.

Seu autem uno constet nosocomium aedificio, seu pluribus, hoc apparet in plures partes dividendum esse, ut sua sint loca aegrotis, hisque ipsis satis multa, eademque pro diversis aegrorum generibus diversa: sua vulneratis, sua scorbuticis, scabiosis, furiosis, sua febri labo-

rantibus etc. omnibus vero satis spatiosa. Sua porro loca cibis parandis servandisque, sua adjutoribus medicis, ministris. Quae tamen singulatim hic exponere, nimis longum foret.

Quatenus pertineant nosocomia ad cognoscendam et examinandam medicaminum vim.

His paucis de nosocomiorum institutione intersertis ad propositum nostrum veniamus, et primum de emolumentis et commodis, quae ad indagandam veram medicamentorum naturam et efficientiam ex aegrotorum domibus redundent, brevi disseremus.

Jam quod nosocomia multum ad perfectiorem medicaminum cognitionem faciant, e sequentibus apparebit, quibus docere studebimus, nosocomia exoptatissimam facultatem suppeditare, non modo rectius observandi remediorum effectus, quae hucusque usitata fuerunt, verum etiam detegendorum et probandorum novorum, hactenus nondum cognitorum. Quae jam in usu sunt, tantum abest ut eorum omnium certis experimentis reclusa et in lucem posita sit vis et efficientia, ut densis magnam ad partem prematur tenebris. Quare cum ad definiendam veram alicujus medicaminis indolem sciamus ne-

cesse sit, non modo illud revera aegroto fuisse porrectum, portioneque justa, neque alienis corruptum; verum etiam saepius repetitis experimentis observationes factas confirmemus: haec optime fieri possunt in nosodochiis, quae praeterea in adhibendis novis, insuetis, periculosis remediis hoc habent commodi, quod neque aegroti facile ea recusare possint, neque fama medici subeat periculum.

Primum quod requiritur ad examinandam vim alicujus medicaminis est: quod revera aegrotis porrigatur. Non est, quod multa faciam verba, quam incerta et dubia omnia sint, quae in aegris extra nosodochium curandis de effectibus medicaminum praescriptorum ad medici aures perveniant. Qui vel obiter medicinam practicam attigerit, non est nescius, medicum ideo de remediorum efficacitate non posse certum esse, quoniam non dantur aegrotis aut ab iis non sumuntur. Miratur interdum medicus, cur pertinax malum ne optimo quidem remedio compescatur; at mirari desinit, cum casu comperit, abjectum fuisse remedium. Huic nimis forte, illi prorsus ineptum videtur; huic nimis amarum, illi nimis dulce est; huic forma displicet, illi odor: hic a tonsore suo, ille a carnifice et a vetula quadam alia multo praestantiora accepit. — Res longe aliter se habet in nosocomiis. Certi, non venales homines, quorum curae aegri commissi sunt, nihil habent sanctius, quam ut omnia

medicamina, fuerintne interna, an externa rite administrentur.

Mirum porro videtur, medicos non ignobiles remedia quaedam in hoc vel illo morbo efficacia commendare, eorumque effectum summis laudibus extollere, quae tamen nunquam pure adhibuerint, verum semper cum aliis efficacibus remediis mixta. En foecundum errorum fontem! Quomodo certi esse possumus unum medicamentum esse in morbo quodam efficacissimum, cum simul et una aliud vel multa adhibemus? — Quae si a medicis peccata videmus, quid a profanis exspectabimus? Quem fugit perniciosa ista agendi ratio, qua decies per diem medicamina mutant et omnia cupide devorant et adhibent, quaecunque a familiaribus afferuntur. Quare omnis sibi gratuletur medicus, cui felicissima contigit occasio, in nosocomiis experimenta medicaminum instituendi, cognitionemque medicam amplificandi.

Portione quoque justa dentur medicamenta necesse est. Ea enim est plurium vis ut pro portionis diversitate diversum, quid? quod oppositum effectum faciant, ita ut de eorum efficacitate non nisi tum certi esse possimus, cum omnes ejus effectus, quos in corpore humano varia dosi adhibita, a minima usque ad maximam, protulerint, observaverimus. Stibio-Kali tartaricum e. g. diaphoreticum est in dosi minima, paullo aucta portione

purgat alvum, magis aucta nauseam movet, major 1 — 4 gr. vomitum ciet, major adhuc inflammationem et ulcera profert. Hoc de aliis valet. Permultum igitur interesse debet medici, qui de vi alicujus remedii certiorem se reddere cupit, ut certus esse possit, dari praescriptam medicaminis dosin accurate et diligenter. Quantum vero, bone Deus, hac in re homines plerumque peccant! Quis est medicus, cui ejusmodi exempla non occurrerint? — In nosocomiis tantum experimenta hoc respectu instituere potest medicus; ejus enim est ministros eligere, quorum confidere possit religione.

De paucis autem periculis nondum universam constantemque alicujus medicaminis vim colligere licet. Alium enim in hoc, alium in illo homine effectum habet, alium in hoc, alium in illo ejusdem corporis humani statu. Idem homo, qui paullo ante aestum febriculosum maximam opii dosin ferre potest sine mutatione sensibus obnoxia, post aestum vel minima dosi prosternitur. Opus igitur est saepius repetitis, in diversis hominibus, diversis conditionibus, affectibus, temporibus institutis experimentis, si de vi ac natura alicujus medicamenti justam et rectam notionem formare velimus. Quae cum optime fieri possint in nosocomiis, haec eo nomine arti medicae non parum prodesse existimanda sunt.

Non raro denique in suspicionem levitatis, temeritatisque incurret, famaeque acerbam faciet jacturam medicus in adhibendis novis, hucusque non usitatis, fortibus, venenatis medicaminibus, licet summa agat cautione, nec non nisi ita ea porrigat, ut certissime sibi habeat persuasum verum damnum ex usu oriri non posse. Quod si quis medicus civitatis cujusdam, auctoritate ac successu James Currie Angli adductus aquam frigidam in febribus nervosis adhibere, suosque aegrotos cum ardent, frigidissimae aquae immitti jubere vellet, nonne eum insanire aut saltem levissimum hominem judicarent? Sed si in nosocomio illius civitatis plura ejusmodi experimenta cum exoptatissimo exitu facta, divulgata essent, facile sibi persuaderi paterentur aegri idem medicamen et sibimetipsis porrigi. Ex his patet, quantum ad amplificandam et examinandam pharmacologiam et omnem medicaminum cognitionem possit medicus, cui nosocomii opportunitas praesto est.

Progredimur nunc ad alteram libelli partem.

Quid faciant nosocomia ad pathologiam et nosologiam augendam.

Jam supra vidimus varia e nosocomiis commoda redundare ad morborum indolem ac naturam rectius intelligendam. Etenim non modo ipsa signa morborum diligentius observantur, sed etiam omnia hic removentur, quae morborum decursum turbare atque symptomata incerta reddere possunt; repetitae in majori aegrotorum numero observationes cadaverum sectionibus comprobantur.

Negari non potest, in omnibus fere morbis famulorum in aegrotis curam tanti esse aestimandam, quanti ipse medicaminis usus, eamque saepissime esse in causa, cur morbus quidam alienam naturam, malignam, decursumque irregularem assumat. Huc pertinet alimentorum suppeditatio, potissimum potus, quoniam cibi appetitus aegrorum vulgo imminutus aut sublatus, sitis vero aucta esse soleat. Quodsi ergo aegroto ejusmodi potus propinantur, qui naturae morbi contrarii sunt, morbi majorem vehementiam decursumque irregularem nanciscuntur. Huc spectat porro cura munditiei lecto-

rum, stragulorum, linteorum, interularum aegroti. Nihil ei non modo molestius, sed etiam funestius est, quam neglecta linteorum indusiorumque cura, imprimis iis qui aut exanthematicis morbis laborant, aut profusis sudoribus excruciantur. Cutis enim atmosphaera pestifera, materiaque morbosa excreta, continuo circumdata, eique quasi innatans, non potest non eam rursus ex parte resorbere.

Longe aliter res se habet in nosocomiis, ubi ministri aegrotorum ad curam hanc assueti et instituti, summam munditiae habent rationem, qua re efficiunt ut justas, naturaeque congruentes observationes medicus instituere possit.

Praeterea docet experientia, quantopere in administrandis aegroto medicaminibus peccent homines, ad curandos aegros parum apti, quantum damni afferant et morbi decursum immutent. Sunt, qui putent, promiscue et ad lubitum medicamina qualibet portione, quolibet tempore aegrotis porrigi posse; parum curant praescriptionem medici, et si per negligentiam aliquot horis nulla medicamenta aegrotanti dederunt, triplici aut quadruplici dosi id exaequare posse sibi videntur. Sunt, quibus proverbium est: Multum multum juvat! hi potus instar remedia devorant; alii e contraria timidi pro cochleari guttas modo sumunt, saepiusque post

aliquod tempus intermissionem faciunt; sunt, qui fingant se dare aut sumere medicamenta, ea vero pro temporis absentiae medici ratione abjiciant, medicoque persuadeant, se ea sumsisse; sunt denique, qui alia remedia quaecunque ab aliis medicis praescripta, aut vel a vetulis, a tonsoribus, carnificibus, pastoribus allata, simul adhibeant.

Quae cum ita se habeant, facile intelligitur, tali agendi ratione decursum morbi, symptomata, dies criticos, universam ejus naturam mutari, medicumque impediri, quo minus justam morbi notitiam sibi effingat. Haec autem omnia in nosocomiis facile evitantur, modo certos habeas homines, quibus aegrotantium curam tuto committere possis; hi vero in nosocomiis, bene constitutis, non modo non desunt, verum etiam facilius ab attento medici oculo coercentur. Pendent quoque aegri in nosocomio magis ab arbitrio et voluntate medici, qui multa instituere poterit, quae ad accuratiorem, faciliorem, feliciorem morborum observationem multum facere posse videantur.

Sed ut in praxi quoque privata et regimini a medico praescripto et aegrorum saluti accurate ac studiose inserviatur: tamen saepenumero universum morbi decursum, signa varia, typum, stadia, recreationem, secundarios morbos, et plura, quae ad perfectam morbi

cujusdam cognitionem pertinent, non cum eodem exoptato successu observare poterit medicus, quocum in nosocomiis. Nam cum ob aegrotorum multitudinem, locorumque intervallum medicus aegros in privatis domibus saepius non nisi semel per diem et interdum ne semel quidem ipse visitare et de progressu morbi certiorem se reddere potest, recurrendum ei erit ad eos, quorum curae aegrotans commissus est. Hi autem justam et accuratam signorum morbi rationem non nisi tum reddere poterunt, cum ipsi observare diligenter et attente didicerint. Neminem fugit, quam misera hoc respectu aegrotorum in domibus privatis geratur cura, nimirum aut omnino homini nulli, aut modo huic, modo illi, aut ineptis, incultis, infantibus, vetulis, ancillis aegroti curationem esse creditam. Quomodo isti accuratam morbi phaenomenorum medico rationem reddere poterunt? Quomodo eorum narrationibus incertis, vagis, ineptis medicus fidem habebit? Agrotorum vero in nosocomiis ministri, ad hanc curam assueti et repetita experientia edocti, absentem medicum ex parte supplere et adjuvare poterunt.

Major quoque aegrotorum in nosocomiis numerus modis variis scientiae medicae amplificandae inservit. Observationes enim morborum ut certae sint ac justae, debent esse repetitae. Natura enim varia et multiplex

est, neque in similibus semper eadem et sibi congruens. Sicuti inter mille ejusdem arboris folia ne duo quidem reperias sibi prorsus aequalia; ita unius ejusdemque speciei nunquam duos reperias morbos in duobus diversis hominibns prorsus pares. Quare cum natura semper mutabilis sit, opus est ad cognoscendam veram morbi cujusdam indolem, ut saepius et in diversis hominibus observetur, unaque observatio per alteram confirmetur. Verbis enim quam maxime castiganda eorum est consuetudo, seu potius arrogantia, qui una aut altera observatione cujusdam morbi, intimam jam ejus naturam perspexisse, continuoque et repetito examine facile carere posse sibi videntur. Potissimun vero ad subtilem, eamque difficilem morborum diagnosin, quorum primo intuitu natura eadem, re vera tamen valde diversa est, magna commoda praebent nosocomia.

Porro plures aegroti in nosocomiis ab uno eodemque medico observari et curari possunt, ratione temporis babita. Ille enim medicus, qui in magnis urbibus aut ruri de domo ad domum currere debet, temporis satis non habebit, ut factas observationes litteris mandet, quid? quod ne quidem satis diu ad lectos aegrorum commorari poterit, ut accuratam et absolutam morbi notionem sibi paret. Tres enim diei partes in viis publicis versabitur, minimamque temporis partem mor-

borum studio dicare poterit. Quare etiam his in rebus nosocomia medicae cognitioni excolendae inserviunt. Sagacissimus enim quisque et peritissimus medicus in magno tantum aegrotorum numero ingenii sui aciem ostendere optime potest. Quod et ipsa experientia comprobatur. Descriptiones enim morborum optimas, naturaeque congruentes ab iis medicis conceptas esse videmus, qui magnum aegrotorum numerum, inprimis in nosocomio observare poterant. Aliud praeterea commodum magnus aegrotantium numerus offert. Character nimirum, quem ita dicunt, morborum obtinens et lapsu temporis sibi succedens, facilius et tutius cognoscitur. Constat enim inter omnes medicos ab opinione praejudicata liberos, nec e praesenti momento futura et praeterita dijudicantes, constat inquam, praesentem constitutionem, non semper durasse. Fuerunt tempora, quibus inflammatoriae, gastricae, biliosae, rheumaticae, catarrhales constitutiones obtinuerunt, et erunt tempora, quibus eaedem denuo vicissim regnabunt. Hae vero morborum constitutiones non nisi per attentam symptomatum comparationem optime intelligi possunt.

Amoventur quoque omnia in nosocomiis quae morborum cursum et stadia mutare possunt. Inter omnes enim medicos constat, quantam vim rei domesticae et familiaris curae in aegrotos exserant, quantaeque ad

illos quotidie noxae manare ex iis, tamquam e fonte copioso soleant. Cura praesertim anxia, metus, ira, terror, gaudium etc. multum pertinent ad turbandum morbi decursum, imaginemque ejus immutandam. Animi perturbationes summa vehementia in corpus humanum agunt, fueritne sanum, an aegrotum. Attamen multi homines ubi aliquid animum, insolitum impelli, percussit, ubi aliquid occurrit, aut indignum, ut in omni vita humana multa sunt, aut parum ex facili fluens, aut multum temporis res non magno aestimandae poposcerunt, statim ad iram vel animi demissionem convertuntur. Imprimis vero febres per animi motus non raro ita immutantur, ut aliam prorsus faciem et malignam indolem induant, et medicus parum subtilis facillime decipi et in diagnosi errare possit.

Omnes hae curae atque ingratae perturbationes domesticae in nosocomiis prorsus evitantur, animusque aegri aequa tranquillitate fruitur. Grata illa ab omni molesta affectatione vindicata tranquillitas animi saepissime sola est causa, cur aquae morbos inveteratos sanent, quorum maligna pertinacia vel peritissimos medicos domi in desperationem adduxerat. Demtis istis ac sublatis animi perturbationibus, morbos, secundo, sine ullo obstaculo cursu, regulari modo progredientes, optime medicus observare, et e repetitis, sibi con-

gruentibus observationibus, accuratas potest formare morborum notiones.

Porro facere non possum, quin commemorem molestas cognatorum amicorumque salutationes aegrotis tam perniciosas. Laudanda quidem est sedula voluntatis propensae, curae atque amicitiae testificatio; at nihil adsurdius, quam modus, quo benevolum erga aegrotum animum ostendere plures student; nihil ineptius, nihil aegroto funestius, quam frequens ille propinquorum, familiarium, vicinorum, sic dictorum amicorum concursus ad eum, qui vi morbi oppressus, summa tranquillitate indiget. Quanta ex ejusmodi benevola vexatione et cruciatu, continuisque quaestionibus et interpellationibus aegroto damna nascuntur, quis est qui nesciat? Abusus iste, nimis frequens, naturalem morbi decursum mutat, medicumque impedit, quominus justam ejus notionem percipere possit. Quo difficilius autem illud malum in domibus privatis vitari potest, eo facilius in nosocomio, ubi procul arcetur vulgus profanum.

Nullo quoque modo negligitur in nosocomiis bene institutis aeris immutatio, et hac etiam de causa ibi morborum natura diligentius potest observari. Neque aliquis nobis hic objecerit, ob ipsam hanc pravam aeris indolem, haud raro in nosocomiis febres malignas oriri, aut benignas in malignas transformari, indeque singu-

lare nomen traxisse febrium nosocomialium; nam hae tantum in nosodochiis male constitutis locum habent, aut ab anni tempore, epidemica contagione vexatis, aut male sitis, aut aegrorum numero refertis. Constat enim inter omnes, inclusum aerem, potissimum in aegrotorum cubiculis, morbi naturam mox deteriorem facere, ejusque signa modis variis turbare et immutare. Jam multi praesertim pauperum in angustis cubiculis, mephiticis vaporibus omnis generis repletis, cum tota familia et non raro animalibus domesticis decumbentes, aerem aut nesciunt mutare aut recusant, imprimis hiemis tempore saepe dicentes, aeris renovationem aegro magis obesse quam prodesse; aut si vel maxime eum purgare et mutare voluerint, tam inepte et praepostere agunt, ut plus damni, aegroto, quam utilitatis afferant.

Unum adhuc nosocomiorum commodum, idemque magnum addendum est: cadaverum dissectio facilius et accuratius fieri potest.

Maxima hominum pars abhorret mortuorum sectiones, medicosque impedit, quo minus de incertissimis, parumque cognitis morbis certiores sese reddant. Quantopere autem dissectiones in universum imprimisque post eos morbos, quorum natura tenebris adhuc circumfusa est, ad dissipandas has tenebras et ad investigandam mali naturam faciant, profecto nemo erit, qui

ausit ire infitias. Quare non temere hanc quoque opportunitatem sectionum instituendarum, quae in nosocomiis est, inter commoda et augmenta medendi artis, e nosodochiis petenda, referre posse videmur. In his praeterea omnia apta sunt et parata ad sectiones instituendas, quae saepissime, si permittuntur in familiis, deficiente loco lucido, apto, tempore commodo, apparatu necessario, non nisi mancae et quasi tumultuariae esse, neque eam utilitatem praebere possunt, quam habent eae, quae in nosocomiis instituuntur. Hic nemo est, qui prohibeat, nemo qui premat dissecantes, omnia recte et ordine possunt praeparari et examinari; partes praeterea aegrotantes demi, et ulteriori inquisitioni servari et postea ita apparari, ut sempiternae instructioni inserviant. Quod in privatis sectionibus rarissime aut clam fieri potest, impium quippe a multis habetur, partes corporis mortui demere, scilicet ne mutilis et truncis membris aliquando surgat! —

Quae cum ita sint, demonstrasse nobis videmur, nosocomia bene instituta multum facere ad subtiliorem, clariorem rectioremque cognitionem morborum et medicaminum formandam; dummodo peritis artemque amantibus medicis tradita fuerint. Ex his quoque patet, quantum intersit non modo scientiae medicae, non modo aegrotorum, verum universae rei publicae, ut

nosodochia non nisi eorum medicorum curae committantur, qui eruditione, probitate, experientia quam maxime praeter ceteros excellant.

Aetas eorum adultior sive media et virilis, sicut ad firmiorem sanitatem aptissima videtur, neque minus ad auctoritatem certius conciliandam. Propter subitos autem morborum casus et multitudinem aegrorum, prompta celeritas dexteritas consilii operaeque imprimis medico nosocomiali necessaria est. Atque huc pertinet, quod Aemilius Campolongus, insignis quondam medicus Patavinus, dixisse fertur, audaciae, inquiens, me nunquam poenituit, timiditatis semper. Praeterea, cum aegris inferioris conditionis colloquentem, decet esse communem ac facilem erga quoscunque, patientem taediorum atque incommodorum, diligentem ac sedulum in aegrotorum salute curanda commodisque promovendis, vestitu honesto et expedito utentem sine elatiore cultu fastuque, victu quoque facili parabilique contentum, prout res tempusque ferunt; ne multa, ad omnem virtutem ita esse compositum, ut iis, quos habet regendos exemplar, quod intueantur ac sequantur, praebeat.

VITA.

Natus ego sum, Fridericus Bernhardus Poyda, evangelicae addictus confessioni, III Non. Jan. MDCCCXXXVII Goerschen'ae, in pago prope Numburgum ad Salam, patre Friderico Guilelmo Poyda, parocho Goerschen'si, matre Antonia e gente Brandt, quos parentes dei gratia hucusque Geussnitzii ad Cizam viventes pio animo veneror.

Primis litterarum elementis domi imbutus, scholam episcopalem Cizensem adii. Quam quum per quatuor annos frequentassem, pater carissimus rerum gentiliciarum causa Lipsiam me misit, ut cursum inceptum alma matre Nicolaitana gubernatrice, quae Ill. Nobbe rectore floret, feliciter emetirer.

Hinc, tempore paschali MDCCCLVII maturitatis testimonio munitus, Halas Saxonum petii, ubi die II mens. Maji ab Ill. Bruns tunc temporis Rectore Magnifico, in civitatem universitatis Fridericianae Halensis cum

Vitebergensi consociatae receptus, apud Ill. Blasius gratiosi medicorum ordinis decanum spectatissimum die IV mens. Maji nomen professus sum studiosi medicinae, philosophiae apud Ill. Rosenberger amplissimi philosophorum ordinis decanum.

Per quadriennium hisce interfui scholis:

Ill. de Schlechtendal de botanice; Ill. Knoblauch de physice; Ill. Girard de mineralogia; Ill. Heintz de chemia organica cum physiologica et anorganica, de theoria chemica; Ill. Giebel de zoologia; Ill. Schaller de psychologia; Cel. Allihn de logice; Cel. Cornelius de meteorologia et geographia physica.

Doctiss. Reil de encyclopaedia et methodologia medicinae; Ill. Schultze de osteologia et syndesmologia, de organis sensuum, de evolutione corporis humani, de anatomia comparata; Ill. Volkmann de anatomia systematica, dissectationibus anatomicis, de physiologia experimentali, de motu; Ill. Welker de anatomia sensuum; Ill. Krahmer de pharmacologia, de medicina forensi; Ill. Vogel de pathologia et therapia generali et speciali, de morbis venereis, de morbis cutis, de semiotice et diagnostice; Ill. Hohl de arte obstetricia; Ill. Blasius de chirurgia generali et speciali, de ossibus fractis et luxatis, de chirurgia vulnerum, de akiurgia, de chirurgorum auxiliis mechanicis, operationibus ophthalmiatricis; Doctiss. Volkmann de anatomia pathologica generali et speciali.

Scholas frequentavi clinicas: Ill. Blasius chirurgico-ophthalmiatricas, Ill. Hohl obstetricias, Ill. Vogel medicas.

Omnibus praeceptoribus meis carissimis optimeque de me meritis, pio animo gratias ago quam maximas, semperque habebo.

Jam vero tentamine tam philosophico, quam medico, nec non examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Errant qui in haemorrhagiis curandis omnem venae sectionem repudient.

II.

Sunt vulnera necessario sunt alia fortuito lethalia.

III.

Placentae solutio et expulsio post partum vix non ubique naturae relinquenda.

IV.

Calomel remedium e perfidissimis et minime antiphlogisticum.

V.

Sunt et vesaniae quaedam contagiosae v. g. mysticismus, vera mentis scabies.
